

In quinta significat quòd morientur eius filij, dum fuerint infantes, & si uixerint, erunt fortes & mali, ac malum facient hominibus, Idem significat mortem filiorum nati.

Si fuerit in sexta, accident ei occasiones, & impedimenta, propter seruos, & bestias, nec habebit in eis fortunam, uel lucrum, sed uidebit mortem familiae nati ac animalium minorum.

In septima significat, quòd matrimonium contrahet natus cum mulieribus, ad quas perueniunt haereditates alienae, & ipse haereditabit suum, & habebit propter hoc bonum, & lucrum, tamen morietur extra solum natale, idem significat quoque mortem uxoris.

Si fuerit in octaua, natus erit sanus habebitque infirmitates leues, ac mortem leuem, & bono modo, Idem significat natum sapius uenire in mortis periculum.

Si fuerit in nona, natus erit malae uoluntatis, ac malorum factorum, morietur extra terram suam.

Si fuerit in decima, mors nati erit ex mandato Regis, ueruntamen morietur in alto statu honoris, officij, seu dignitatis.

In undecima si fuerit, paucos habebit amicos, accidetque ei rixa, & maleuolentia cum his quos habuerit, morietur in meliori statu uitae suae.

Si fuerit in duodecima oppugnabitur, & interficietur ab inimicis suis, & mors ei erit cum tribulatione, & angustia, multa & morietur in carcere.

De domino nonae, in duodecim domibus.



Ominus nonae, in prima si fuerit natus erit bonae legis, & uoluntatis, faciet se amari ab hominibus, sapiens, ac peritus decretorum. Itinerator bono modo, in hoc profectum habiturus, & multas peregrinationes in terras longinquas.

Si fuerit in secunda, habebit substantiam ex peregrinationibus, in quibus ditabitur, sed suscipiet peregrinationes longinquas pro acquirendis diuitijs.

In tertia, significat quòd copulabitur cum mulieribus extraneis, & transferetur de loco suo, & habebit peregrinationes in causis fratrum, ac consanguineorum suorum.

Si fuerit in quarta, parentes nati habebunt infirmitatem absconditam, morietur in itineribus, significat peregrinationes in causis parentum.

Si fuerit in quinta, habebit filios extra terram suam, & gaudebit ex illis, & ipsi honorabunt eum, suscipietque peregrinationes in causis filiorum.

Si fuerit in sexta, natus ducet seruam, lucrabitur in seruis, & bestijs, & infirmabitur in itineribus, & si sanus in itineribus fuerit, recipiet damnum occasione seruorum suorum, peregrinabitur in causis familiae, aegritudinibus, & animalibus minoribus.

Si fuerit in septima, uxorem habebit bonam, & bene morigeratam, quae ei obediens, & si cum hoc fuerit fortuna, erit uxor illa custos suae legis, ibidem decernit nato peregrinationes multas in causis contentionum, & litigiorum.

In octaua, significat quòd maximam habebit uoluptatem substantiam congregandi, & propter hoc iter faciet, peregre etiam profugiet propter metum mortis, uel propter mortem aliquam factam, & in causa haereditatum mortuorum.

Si fuerit in nona, erit paucorum itinerum, receptus in suis negocijs, ac in dando, & accipiendo, eritque custos suae legis, habebit peregrinationes in causis fidei, & religionis.

In decima